



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

Eck, Johannes

Antverpiae, 1541

29 Sub Eucharistia esse corpus Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35599

na, ea propter cum alios locos ædi-
dissemus communes contra Luthe-
ranos, verissimū comperimus, viam
& ianuam per Lutherū apertam om-
nibus quidlibet audendi. Sustulit e-
nim Luther (quantum in ipso fuit)
sacrorum conciliorum authoritatē,
Romanorum pontificum iudicium,
sanctorum & deo amabilium patrū
responsa, ac studiorum generalium
condemnationes. Vt iam vnicuique
phrenetico, vel melancholico, Satur-
nino, bis stulto cerebro, peruium sit
omnia insana capitis sui phantasma-
ta, sacris mysterijs immiscere. O
deus, O tempora. Cogimur ergo illo-
rum impietate, quanuis inuitissimi,
hos adijcere locos.

SVB EVCHARISTIA

esse verum corpus

Christi. XXIX.

Cœnantibus aut̄ eis, accepit Ie-
sus panē, & bñdixit, ac fregit Mat. 26
deditq; discipulis suis, & ait:

X 2 Acci-

SVB EVCHARISTIA

Accipite & comedite, hoc est corpus meum: & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Significantissime Christus dixit: Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, quid ergo clarissimis verbis & Christo repugnat?

Mar. 14

Manducantibus illis accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, sumite, hoc est corpus meum & accepto calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex eo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.

Luc. 22

Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam conauit, dicens: Hic est calix noui testamenti.

stamentū in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Ecce quanta concordia Euangelistæ indicent, corpus, & sanguinem Christi tradita discipulis.

Panis quem ego dabo, caro mea Ioan. 6
est pro mundi vita, Christus dicit, panem quem daturus sit esse carnem, hæretici negant.

Ego accepi à domino quod & tra 1. Cor. 10
didi vobis, quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agēs, fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: Ecce quomodo Paulus expresse dicit, oblatum discipulis fuisse corpus, & sanguinem Christi.

Calix benedictionis cui benedici 1. Cor. 10
mus, nonne communicatio sanguinis

Xi nis

SVB EVCHARISTIA

nis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & vno calice participamus. Hic clare Paulus ostendit in qualibet particula panis consecrati, participari corpus Christi, lapideus est qui hæc alio torquet, quam ad corpus Christi.

1^a Cor. II Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Clare liquet, quod propter præsentiam corporis Christi, peccatū ab indigne sumente pertinet ad corpus Christi, nemo enim, nisi insanus, negat indigne manducantem eius reū esse quod manducat. Instruit enim hic Paulus Corinthios, ne credant esse simplicem cibum in altari, sed corpus Christi, quod qui indigne man-

manducet reus sit eius, ideo signatissime addidit. Non dijudicās corpus domini, id est, nō discernens ab alijs cibis. Hoc omniū ætatum omnes sancti patres in ecclesia tenuerunt, unde contra tot clarissimos sacre scripture textus desipere, extreme temeritatis est, & aliorum hæreticorum insaniam transcendit. Hanc heresim aliquādo docuerat Berēgarius sancti Mauritij Andegauensis ecclesie diaconus, sed Romę coram Nicolao papa, & tredecim archiepiscopis, & centum episcopis abiuravit, canone Ego Berengarius, de cons. dist. 2.

¶ Obijciunt hæretici. Capharnaitæ.

1 Christus inquit, pauperes semper Mat. 26.
habebitis vobiscum, me autem non
semper habebitis, at si esset in eucha
ristia, semper eum haberemus.

2 Spiritus est qui viuificat, caro Ioan. 6.
non prodest quicquam. Si ergo non
prodest, quid tantopere contendi-

X 4 tur

SVB EVCHARISTIA.

tur esse sub eucharistia?

3 Augustin. super Psal. 4. Donec finiatur sæculū, sursum est dominus.

4 Alioquin falsificarentur tres articuli fidei, ascendit in cœlum, Sedet ad dexteram patris. Inde venturus est: nā si est in cœlo, quomodo erit in altari? quia idem corpus in duobus locis esse nequeat.

Andreas Bodenstein Carlostadius, primus resuscitator huius hæresis sepultæ, adducit illa pro errore suo.

1 Si Christi corpus & sanguis esset in sacramēto, sequeretur panē pro nobis esse crucifixum.

2 Christus non dixit accipite corpus meum, sed accipite panem.

3 Panis nō fit melior per hoc murmur & anhelare sacerdotum, quis enim dedit potestatem hanc sacerdotibus?

4 Alioquin quum in cœna Christus habuerit corpus mortale & iam
im-

immortale, iam non verum esset de illo dici, quod pro vobis tradetur. Mat. 24

Christus ait: Si quis vobis dixerit: Hic est Christus, aut illic, nolite credere, ergo non credamus, si dicit in ista hostia est Christus, aut in ista hostia.

6 Increpat catholicos quod appellant eucharistiam sacramentum, nam Apostoli non sic nominauerunt, deus dat creaturis suis nomina non homines. Paulus autem appellat cenam domini, panem domini, calicem &c.

7 Cœna dominica sufficienter his verbis est instituta Iesus accepit panem, gratias egit & fregit & dedit discipulis suis & dixit: Accipite & manducate, hoc facite in meam commemorationem. Et ista verba: Hoc est corpus meum, sunt impertinentia, & quasi per parenthesis interiecta. I. Cor. 11

8 Verba Pauli, I. Cor. 10 vitare nititur.

X § titur

SVB EVCHARISTIA

titur, quia ibi Apostolus Paulus nō loquatur de cōmunionē, id est sumptione sacramenti, sed de cōmunionē passionis Christi, quę fiat eiusdē rememorationē.

¶ Sic verba, i. Cor. ii. existimat locum habere in indigne commemorantibus.

Ecce hæreticorum in constantiã Zuinglius in suo can. dixit corp⁹ Christi esse in eucharistia, similiter Oecolampadius in duobus sermonib⁹ impius cū venerit in p^ofundum.

Zuingl. & Oecolampadius duo vasa erroris bellantia, Carolo stadij sententiam amplexi sunt, fundat se Zuinglius in illo Ioan. 6. Caro non prodest quicquam. Tum vt claros euangelij textus eludant, aiunt: Est sumi in actu signato, nō exercito, vt sophistæ in Cathegorijs dicūt. Videntes enim absurdissimam esse Carolo stadij torsionem, sic euadere nitūtur. Hoc est, i. significat, corpus meū, vel hoc est corpus, i. figura corporis mei.

¶ Repelluntur illa à catholicis Christū nos semper habiturum, fatetur veritas Matthęi vltimo. Ero

vobiscum vsq; ad cōsummationem
 sæculi. Ideo cum ait: Me non sem-
 per habebitis, accipiendum est secū-
 dum præsentiam corpoream huma-
 næ conuersationis, neque enim iam
 vngitur, lauatur, tergitur & c.

Profecto si caro non proderit ca- De secūda
 tholicis, ne panis proderit hēreticis.
 Porro nec hēreticus dicturus est, car-
 nem Christi non profuisse in cruce.
 Adde quod non sequitur, non pro-
 deest, ergo non est in sacramento, nisi
 & hanc admittas illationē, ergo nō
 est in cœlo. At si accutius inspicia-
 mus, hēretici sensum Christi nō af-
 sequuntur. Non loquitur Christus de
 carne sua non enim ait: caro mea nō
 prodest quicquam, hanc sententiam
 habebant Iudæi, qui abierunt retro,
 existimantes carnem Christi visibi-
 liter, sub specie carnis dentibus di-
 reptam dilaniari.

¶ Fatemur sursum esse dominum in De tertio
 cœlo, sedentem ad dexteram patris,

in

SVB EVCHARISTIA

in forma visibili & quãtitatiua, qui tamẽ sub specie panis latet inuisibilis sacramentaliter.

De quarto. Veritas Eucharistiæ non pugnat cum articulis fidei. Nam quia apud deum non est impossibile omne verbum, poterit facere vnũ corpus esse in pluribus locis, cum natura possit vnã essentiam animæ in pluribus membris facere, in manibus, pedibus, Aug. Item Christus est in celo, & tamen apparuit Paulo Actu. 9. 22. & 1. Corint. 15.

De primo. Quæ Caroloostadius ex Saxonia relegatus, odio Luth. effudit omnia sunt tam impia & obtusa, vt responsum non mereantur, dicamus tamen.

Forte Luther haberet concedere, panem esse crucifixum per communicationẽ idiomatũ, at quia catholici lõge absumus ab illa hæresi, quod panis maneat in Eucharistia, ideo ille Caroloostadij non admittitur.

Non

Non est verum quod assumit Ca- De secūdo
 roloftadius, nō enim inquit, accipite
 panē: sed pane porrecto ait: Accipi-
 te & comedite, hoc est corpus meū.
 Quid autem interest dicere, Acci-
 pite corpus meum, & porrecta ma-
 nu dicere: Accipite, hoc est corpus
 meum.

De tertio

Nemo dicit quod persufflare, aut
 anhelare, seu murmurare, panis fiat
 melior, sed quando sacerdos secun-
 dum institutionē Christi, dicit ver-
 ba cōsecratoria, quibus deus sua vir-
 tute diuina omnipotenti assistit, &
 substantiam panis in corpus suum
 conuertit, & vinum in sanguinem.
 Hanc autem potestātē à Christo ac-
 ceperunt apostoli, eo dicente: hoc fa-
 cite in meā cōmemorationem. Ideo
 Paulus ait: Ego accepi à dño, quod
 & tradidi vobis &c.

Etsi corpus Christi iam sit impaf- De quarto
 sibile, neque sacerdos dicit illud esse Rom. 6
 tradendum, qui nouit, quod Chri-
 stus

SVB EVCHARISTIA

stus ultra non moritur, sed renarrat
Christū talia dixisse in cœna, quod
est verum, tūc enim (non modo) cor-
pus Christi tradendum erat, & san-
guis fundendus.

De quinto. Quod Christus dixit de regno suo
fidei, hæreticus accipit de corpore
Christi, præuidit saluator futurū, vt
Husitæ dicerēt Christum stare pro
eis. Lutherani his aduersi, asserunt
Christū pro eis esse, Caroloſtatinos
excludentes. Zuingliani de Christo
se iactāt. Rebaptizatores soli Chri-
stum sibi vendicant, ab his hæreti-
cis monuit nos dominus.

De sexto. Vana est Caroloſtadij iactantia,
nam quum constat de re frustra cer-
tatur de nomine, nec deus creaturis
Gen. 2 nomina dedit, sed Adam, neq; sacra-
mentum est falsum signū, vt ille iu-
daizans nebulo ecclesiam irridet, q̄
sit sekerment, nam ab Apostolis ad
nos vsq; deuenisse sacramentorum
appellationem ex Dionysio liquet,
qui

qui libro de Ecclesiastica hierarchia appellat eucharistiã synaxin, & iuxta inclytum præceptorem suum, ait, eam esse sacramentorum consummationem, sacrosancta, & augustissima illius dicit mysteria, & diuina munera, & in communi dicit sacramenta.

Quod ipse dicit negamus: nam hoc est corpus meum in medio connectitur coniunctissime alijs verbis & puerile est accipere extrema, ad cœnam, & media propria authoritate excludere, probet ipse hanc dissolutionẽ ex scriptura, nam nec stulto satisfaceret, quod inquit punctum præfigi orationi, & à magna litera principari. Hoc, Hui hoc est theologum præstare, ex magnis literis, & punctis certare, explodãtur sophistę ex theologia, & assumãtur punctistę cum illis magnis literis capitalibus. Puerilia sunt que garrit de touto, naturalis consequentia verborum non
pari

De septi

SVB. EVCHARISTIA

patitur, nisi quod demonstraverit
porrectum panem in manu, ideo si-
gnificantius additum est hoc. Et ex-
pende quæ Luther hic dicit contra
Carolo stadium, expugnant Luthe-
rum in sua torsione istorum verbo-
rum: Tu es Petrus, & super hanc pe-
tram ædificabo ecclesiam meam.

De octa.

Lacerat Carlstat Paulum, nam
quum solis intendit allegorijis, lite-
ram & spiritum vna amittit, certū
est Paulum loqui de cōmunionē, &
participatione eucharistiæ, nō pas-
sionis. Porro communicatio passio-
nis est solum bonorum, participatio
eucharistiæ est communis dignis &
indignis, bonis & malis.

De no.

Similiter lacerat Paulum, nā Pau-
lus loquitur de manducantibus in-
digne, iste torquet ad commemoran-
tes indigne, quum illa sint diuersa,
licet vterq; peccat, scilicet indigne
communicans, & indigne commē-
morans.

Zuia-

Zuingl. & Oecolampad. huius er De quinto
 toris confortes viderunt Carolofia principal
 diſi expositionem ad illa verba, Hoc
 est corpus meum, esse violētam, du-
 ram & audacem, atque plurimum a
 vero aberrantem, placuit tamen eis
 impietas, vnde expositionem com-
 menti sunt nugacissimam, & plus-
 quam sophisticā. Est accipitur pro
 significat. Ita addeceat nouos euan-
 gelicos puram literam scripturæ se-
 qui, id est lacerare. Vnde etiam a Lu-
 thero & Bugenhagio irridentur.
 Et eorum impietatem sic funditus
 destruas.

Primo insanit Hausschein dum
 ait, Hoc est corpus meum, id est for-
 ma corporis mei, quia & sibi & ca-
 tholicis contradicit, omnium enim
 sententia ibi est forma panis, etiam
 si apud catholicos credatur esse cor-
 pus Christi, tamen sub forma panis
 visibili. Vide Augustin. de sententia
 Prosperi,

Y Secun

SUB EUCHARISTIA

2 Secundo deprehenditur inscitia:
Zuinglij & Oecolampadij, dum in
loquutione metaphorica existimant,
est, valere significat. Vnde in hac im-
pietatem ex ignorantia dialectice
venerunt, vnde postea in symbolica
errant theologia, & vt videant non
progredi eorum doctrinam intue-
antur illud tritum: Lupus est in fa-
bula, an Est hic exponant Bardi illi
pro significat. Item in illis symbolis
Ioannes decimo immittat suum si-
gnificat. Mercenarius, cui⁹ no sunt
oues proprie, videt lupum. Ego sum
pastor bonus, id est, ego significo bo-
num pastore, & cognosco oues me-
as. O stupidi, insensati & indoctissi-
mi haeretici.

3 Tertius sophermata Oecolamp
torquentis sententias patrum, maxi-
me Augustini facile vitabimus, si
aduertemus eucharistia signu dica-
Primo, ratione specierum sensibi-
lum panis & vini,

Secundo

Secundo, quia etiam corpus Christi verum, est signum corporis Christi mystici.

Tertio, quia eucharistia sumpta est signum gratiæ, sumentis collatæ.

Et quarto, cum corpus Christi sit ibi non modo circūscriptiue, sed suus modus essendi insit spiritalior, etiam signi aut formæ nomine designatur, licet nihilominus adhuc vere ibi sit corpus Christi.

Quarto quia tres Euangelistæ & Paulus nullam indicant metaphoram, sed identice enunciant, hoc est corpus meum. Et toties repetunt, neque alibi ex scriptura docebant hic esse metaphoram, neque fide docemur hic esse metaphoram, quare in sensu proprio est accipiendum, Hoc est corpus meum. Delirat enim Zuin- glius, Est alicubi in sacris literis accipi pro significat. Sed omne delirium superat. Si alicubi Est acciperetur pro significat, ergo hic accipitur sed

¶ 2. deesse.

SVB EVCHARISTIA

deceptus fuit ex ignorantia logica.
Cum enim Christus dicit se vitem
Est non ponitur pro significat, nam
obtusitas eius agnosceretur, ponendo
in textu. Ego sum vitis vera, id
est significo vitem verā, hoc secundum
Zuinglium, quum tamē Christus
non significet vitem, sed significetur
per vitem.

Porro quinto clarissimo textui
euangelico accedit consensus totius
ecclesiæ catholicæ, & potentissima
miracula in hoc venerabilissimo sacramento
diuinitus monstrata, perant igitur
hæreticorum nugacia sophismata,
delirę impietates, idostissime
torsiones, ac violētæ sacrę scripturę
expositiones. Quum vnus Lucas
omnia eorum somnia excludat,
quum narret Christum dixisse. Hic
calix nouum testamentū in sanguine
meo. Amant enim hæretici Græca,
in quibus non legitur est. Et tamen
identice, calix nouū testamentum

tum dicitur, non certe in vino, sed in meo sanguine, non enim est testamentū sine sanguine. Vide Paulum ad Hebræos nono.

Psal. 108

Attende quomodo hæretici moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorū deuorata est. Oecolampadius anno. M. D. 24. mense Julio indignabatur sanguinem Christi denegatum fidelibus in synaxi & anno nondum euoluto ipse cum complicibus hæreticis denegat fidelibus, & corpus & sanguinem Christi. Similiter Zuinglius, Carlostadius postquam tantum incendium de sacramento sufflauit, iam palinodiam cecinit, nō proposuisse se ista ut credenda, neq; ista fore asserta ex spiritu, aut sacris literis, sed certius indaganda ex proprio capite ab eo esse proposita. Vide quomodo stultus ut luna mutatur. Eccle. 27

DE BAPTISMO
puerorum. XXX.

X 5 Hoc